



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio LVI. De Canonico per Judicem spoliato possessione Feudi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

prescribantur decimæ cum titulo 40. annis. *c. 1. de Prescr. in 6.* qui anni cum titulo in contingentia facti, si vera est, suffragantur Primissario; imò fortè suffragaretur tempus immemoriale, quo

tamen non indiget. Sed in Petri rium, sicut D. Primissarius, ita de me non immitto, tanquam fluum.



TITULUS XIII.

De Restitutione Spoliatorum.

DECISIO LVI.

De Canonico restitutionem petente contra Judicem qui præproperè immisit in possessionem feudi agnatum illius.

SPECIES FACTI.

Hartmannus Perillustris parentis filius unicus animum adjecit ad DEO serviendum in statu Clericali, & postquam Canonicatum in Ecclesia quadam Cathedrali adeptus est, Ordinem Subdiaconatus suscepit. At vix stabilem hunc statum amplexus est, mox ejus proximus agnatus Adolphus, nimirum patruelis, accessit excelsum quoddam Principis Supremi regimen, & feudum, in quo velut hæres & filius successerat parenti Hartmannus, ad se modò devolutum ratus immisionem petiit in possessionem feudi, & sine mora, ac absque omni cognitione prævia, an Hartmannus illius

retinendi capax esset, nec ne, eadem impetravit. Contra hoc factum Judicis tanquam notoriè iniquum testatus Hartmannus causam deducit ad ipsum Principem, tanquam Dominum directum feudi, sibi que tanquam spoliato quantocyùs restitui postulavit possessionem cum fructibus & expensis litis: Adolphus econtra tenuerit in adepta per Judicem autoritatem possessione postulavit, intertò simul Peritorio, atque ponnit bellò, in quo ajebar, feudum ab Hartmanno per susceptum statum Civilem amissum & ad se devolutum esse. Unde exarsit

QUÆSTIO.

Ans Hartmannus possessione feudi ab ipso Judicè spoliatus debeat ante omnia restitui, etque ante ulteriorem Processum reddi possessio &c.?

Nullatenus ante omnia restituendum esse Hartmannum Jura manifestata videntur permittere; id enim colligitur ex *can. presentium 3. caus. 7. q. 1. ex quo gloss. v. in aliam. & Felinus in c. dilectus n. 1. de Rescript. alioque per modum regulæ tradunt, spoliatorum auctoritate Judicis non restitui; quæ nimirum II. Pro Judice, & ejus factis stat præsumptio Juris, quod justitiam processum sit. *c. in presentia 6. de reman. r. sicut nobis 16. de sent. & re jud. l. 2. c. de offic. Civilium Judicum. Menoch. recuper. remed. 8. n. 3. 4. cum aliis. III. Regula est, quod, qui auctore Prætoris possidet, justè possidet. *l. justè possidet. 11. ff. de acquir. possid. l. qui auctore 137. ff. de R. l. Accedit IV. Quod auctoritas Judicis excuset à poena, per *l. ait Prætor. §. 2. ff. de Minor. ergo & à culpa excusat, adeoque & ab injuria: atqui justè obtinens possessionem non debet eandem ante omnia, & antequam probetur injuria, privari.****

His tamen nequidquam remorandus debuit ante omnia restitui Hartmannus, uti & restitutus fuit, non obstante, quod auctore Judice fuerit spoliatus. Sic enim præsumunt Jura inconcussa; sic suadet æquitas: sic postulat ratio. *Jura sic volunt, nempe in l. meminervit 6. c.*

*unde vi. §. c. conquereute. 7. b. t. ubi possessio disertis verbis ante omnia & illico jubetur restitui, quam Judex sine prævia cognitione, & absque Judicio, ad unius duntaxat partis implorationem, uti planè hic factum est, ab uno in alium transtulit, ne nimirum, ut loquitur lex cit. inde injuriarum nascatur occasio, unde Jura nascuntur; & ideo Judex injuriarum conveniri potest. *l. nec Magistratibus 32. ff. de injuriis. Menoch. n. 10. imò juxta l. 6. cit. & l. fin. C. si per vim. nec ipsius Principis Rescripti auctoritate licet occupare possessionem altera parte non audita; cum ejusmodi Rescripta intelligantur ob- & subreptitia; nam talis esse præsumitur intentio Principis, qualis est legum candor, & rationis naturalis integritas. *text. in c. super eo de offic. deleg. Dec. Conf. 11. n. 3. Conf. 209. n. 5. & Conf. 287. n. 8. Zal. vol. 2. Conf. 10. n. 10.***

Idem suadet æquitas; cum utique inconvenientissimum sit, ut is, à quo vel maximè defendi & manuteneri in sua possessione notoria, quam per plures jam annos quietam habuit nosster Hartmannus, vi officii sui debet possessor, causâ non cognitâ deiciatur à possessione non auditum; & ut inde nascatur injuriæ & præjudicii occasio, unde jus & præsidium nasci

284 *Lib. II. Tit. XIII. Decisio LVI. De Restitutione Spoliatorum.*
nasci & suppeditari oporteret. l. 5.
cit.

Idem suadet ipsa quoque Ratio; nam Judex, qui non procedit ritè, h. e. servato Juris ordine, cognitâ prius causâ, & utraque parte competenter audita, habetur instar privati hominis, ejusque factum non ritè procedentis æquiparatur facto privati. (idem est, si extrajudicialiter procedat, si jurisdictione careat, vel si jurisdictione quidem præditus judicialiter procedat, sententiam tamen manifestè injustam proferat) text. & DD. in c. *conquerente cit.* in l. *prohibitum est C. de Jure fisci lib. 10.* & in l. *omnes Judices de decurionibus 33. Cod. lib. 10.* facit quoque l. 170. ff. de R. l. ibi: *factum à Judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est.* Abb. & Felin. in d. c. *conquerente*, & in c. *cum causa de offic. deleg.* idque mente tenendum esse monet ibidem Abbas. Menoch. n. 9. Mascard. de probat. concl. 1331. n. 5. Gail 2. observ. 76. n. 3. seqq. sed restitutio peti, & agi Possessorio recuperandæ potest, illaque ante omnia concedi debet, si spoliatio est facta per privatum, ut omnes fatentur: ergo & si facta est per Judicem non ritè, seu non servato Juris ordine &c. procedentem. Aliud esset, si quidem ritè procederet, non tamen rectè, h. e. injustè lædendo Partem per sententiam iniquam quidem, at non notoriè iniquam, aut inváli-

dam; tunc enim prius à læso probari deberet injustitia sententia. Abb. n. 1. 6. cum Rolando &c.

Ex quibus prona fluit responsio ea, quæ pro parte negativa sum proposita. Siquidem illa omnia solum procedunt de casu, quo Judex non causa prævia cognitione, judicialiter servato Juris ordine, & parte altera de cujus agitur præjudicio, prius auditâ vel saltem citatâ, adeoque non processit. text. in l. *Judicis 9. C. de Judic. l. terminato C. de fruct. & expens. secus, si non ritè, de facto extrajudicialiter, ad unius tantum partis instantiam, non cognitâ causâ, manifesta cum injustitia procedat, enim non præsumitur pro Judice, jusque facto, decreto, vel sententia nec possessio, quam tali modo tribuatur, censetur justa, nec datur executiva pœna, culpa, aut injustitia, ut hæc communis ferè omnium ex allegatis Juribus; cum Judex taliter procedat, censetur esse instar privati. Mirum non est, quòd, ubi Judex facto, parte altera nec citata, alio lit possessionem, spoliatus debet Superiore restitui in continentia, facto, & absque eitatione. Abb. cin. Baldus in l. *si pacto n. 2. C. de Evict.* Gl. in l. *Minor. v. fundum ff. Evict.* sicut enim Judex fuit factus immittendo, ita quoque debet esse facilis in extramittendo. Bald. in l. *si pacto.**

